



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

VIII. Der Propst Heinrich zu Brandenburg gestattet, daß in der Stadt Nauen eine Kapelle des heilige Blutes gestiftet werde, am 7. Juli 1326.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54581](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54581)

VIII. Der Propst Heinrich zu Brandenburg gestattet, daß in der Stadt Nauen eine Kapelle des heiligen Blutes gestiftet werde, am 7. Juli 1326.

Hinricus, dei gratia prepositus ecclesie Brandenburgensis, omnibus presens scriptum intuentibus salutem et notitiam sub scriptorum. Illis petitionibus dignum duximus nostrum adhibere consensum, quibus a nobis petitur, quod in divini cultus profectum cedit et augmentum. Annuentes igitur devotis petitionibus honestorum et prudentum virorum consulum et universitatis civitatis Nauen, nostre Brandenburg, diocesis, quibus nobis humiliter supplicarunt, quatenus discreto viro Arnoldo de Perwenitz, eorum concivi, in quodam loco cemeterii ecclesie parochialis civitatis sue, in quo olim, cum parochialis ecclesia per incendium destrueretur, sanctum domini corpus fuit, ut dicitur, miraculose repertum, posset capellam in honore ejusdem sacri corporis et sanguinis domini nostri Jhesu Christi sine omni prejudicio parochialis ecclesie predictae de novo construere et de suis facultatibus congrue dotare, favere dignemur: auctoritate administrationis spiritualium ecclesie nostre, qua nunc sede nostra episcopali vacante, fungimur, de consensu et consilio nostri capituli gratiose indulgemus, ut idem Arnoldus, sine omni prejudicio dicte parochialis ecclesie construere valeat capellam in loco memorato, ipsius capelle dotem ad septem talenta novorum Brandenburg, denariorum taxantes, que quidem septem talenta dictus Arnoldus a consulibus et universitate prefatis iusto emptionis titulo comparavit et ea communiter in dotem et pro dote ipsi capelle pro remedio animarum suarum perpetuo erogabunt, renunciantes pro se suisque successoribus eisdem septem talentis et omni juris beneficio, per quod empicio vendicio et dotis eorum erogacio posset in posterum quomodolibet irritari. Sane rector cujusdam strate, adjacentis ipsi civitati, que vulgariter tam dicitur, qui nunc est et pro tempore fuerit, dicta septem talenta annis singulis cunctis futuris temporibus ei, cui capella ipsa collata fuerit, prima dominica post festum beati Andree apostoli de denariis, qui pro dicta strata reficienda singulis annis erogantur et vulgariter Dampninge dicuntur, dabit integraliter et complete. Quod si non fecerit, consules predicti cooperabuntur et juvabunt impignorare bona dicti rectoris pro valore septem talentorum predictorum et providebunt, quod idem rector de dicto pignore eadem septem talenta consequatur. Porro predictus Arnoldus ad capellam eandem, cum vacabit nobis aut nostro successori, qui pro tempore fuerit, personam ydoneam, quamdiu vixerit presentabit, eo vero mortuo, ad ejus filios eadem presentatio pertinebit, qui si infra quatuor septimanas a vacationis tempore computandas de persona nolent aut non possent concordare, extunc licitum sit consulibus antedictis, ne ipsam capellam ultra tempus debitum vacare contingat, nobis personam ydoneam presentare. Post obitum vero filiorum Arnoldi prefati presentatio eadem apud supradictos consules perpetuo remanebit. Sane rector ejusdem capelle, salva honestate sua et debita devocione, debet quolibet die infra matutinas, que in parochiali aguntur ecclesia, missam celebrare, nisi corporis infirmitate fuerit impeditus. Debet etiam omnes peculiare et votivos denarios et generaliter omnia et singula, que parochiale jus contingunt et ad eum pervenerint, preter ea, que sibi in testamento fuerint assignata, plebano predicto plenarie presentare. Quod si non fecerit et super hoc per duos ydoneos testes convinci quiverit, debet esse omni jure, quod in dicta capella vel ad ipsam sibi competit, absque monicione vel sententia aliqua ipso facto privatus. Nos autem vel noster successor, si nobis placuerit, poterimus eundem illa vice de sola misericordia de novo capelle preficere sepedicte. Ceterum si procuratores qui ad capellam eandem pro tempore assumentur, aliquibus specialibus diebus, puta patroni vel dedicationis, cum tabula aut alio quolibet modo fidelium elemosinas petere voluerint, id facere non debeant, nisi dicto offertorio summe misse, que in parochiali ecclesia celebratur. Postremo interdiximus et firmiter inhibemus, ne quis intra aut extra dictam

capellam ymaginem ponat pro offertorio aut elemosinis colligendis. Truncos autem tam pro parrochiali ecclesia quam capella habere possunt, prout ibidem esse dignoscitur hactenus observatum. Ut autem omnia et singula supradicta inconvulsa perpetuo perseverent, presentem paginam nostro sigillo et sigillo nostri capituli fecimus communiri, et nos Hinricus prior, et capitulum ecclesie Brandeb. predictae, in testimonium nostri consensus nostrum sigillum duximus presentibus apponendum. Actum et datum Brandenburg, nonas Julii, anno domini millesimo trecentesimo vigesimo sexto.

Gerden's Stifteh. von Brandenburg.

IX. Verkauf der Dampfenninge zur Stiftung einer neuen Kapelle in Nauen durch den Rath daselbst, vom 8. Juli 1326.

In nomine domini Amen. Injuriatur memorie frequenter oblivio, et longinquitate sepe fit temporis, quod res clara presentibus reddatur obscura futuris. Quare adversus oblivionis dispendium de scriptura suffragio providit industria sapientum. Hinc est, quod nos Nicolaus Mathie, Martinus Nicolai Mathie, Thidericus de Se, Nicolaus Poufin, Walterus Nicamer, Henningus Perwenitz, Arnoldus Perwenitz et Petrus Timmermann, consules veteres et novi, ac universitas civitatis Nauen, presentibus publice recognoscimus, quod discreto viro Arnolde de Perwenitz, nostro concivi, vendidimus septem talenta novorum Brandenburg. denariorum, que una cum ipso in dotem et pro dote capelle, que in honorem et reverentiam sacri corporis et sanguinis domini nostri Jesu Christi de voluntate et licentia honorabilis viri, domini Hinrici prepositi et capituli ecclesie Brandenburg. in cimiterio parrochialis ecclesie civitatis nostre de novo construitur, perpetuo erogamus, renunciantes pro nobis nostrisque successoribus eisdem septem talentis et omni juris beneficio, per quod emptio, venditio et dotis eorum erogatio possit in posterum quomodolibet irritari. Sane eadem refector cuiusdam fratre, nostre civitati adjacentis, que vulgariter Dam dicitur, qui nunc est et in futurum fuerit, rectori ejusdem capelle annis singulis, cunctis futuris temporibus prima die dominica post festum beati Andree apostoli de denariis, qui pro dicta frata reficienda sibi singulis annis erogantur et vulgariter Dampennige dicuntur, solvet integraliter et complete. Quod si non fecerit, promittimus solemnititer per presentes, nos velle cooperari et juvare inpignorare bona ipsius refectoris pro valore septem talentorum predictorum et providebimus, quod idem rector de dicto pignore fata sepe septem talenta sine protractione qualibet consequatur. Ut autem dicta capella sine omni damno et dispendio parrochialis ecclesie nostre predictae perseveret, volumus, ut rector ipsius debeat quolibet die infra matutinas, que in parrochiali dicuntur ecclesia, missam celebrare, nisi corporis infirmitate fuerit impeditus; debet etiam omnes oblationes et votivarum missarum denarios ac generaliter omnia et singula, que jus parrochiale contingant et ad eum pervenerint, preter ea, que eidem fuerint in testamento assignata, plebano dicte ecclesie plenarie presentare. Quod si non fecerit, et super hoc per duos idoneos testes convinci quiverit, debet esse omni jure, quod in dicta capella vel ad ipsam sibi competit, absque monitione et sententia aliqua ipso facto privatus, nisi dominus prepositus Brandenburg. ecclesie suum super retentione dicte capelle misericorditer agere dignaretur. Ceterum si procuratores ejusdem capelle aliquibus specialibus diebus, puta patroni vel dedicationis, cum tabula aut alio quolibet modo fidelium elemosinas petere voluerint, id facere non debeant nisi dicto offertorio summe misse, que in parrochiali ecclesia celebratur. Demum firmiter promittimus, quod nec intra nec extra dictam capellam